



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii  
In India Socij**

**Trigault, Nicolas**

**Coloniae, 1611**

XVI. Paupertas & Obedientia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45183**

est in seipsum ingredi ac penetrare, ne in paupertatem incidentes, quod ille lugebat, fodere non valeo, lugeamus.

## CAPVT XVI.

*Paupertas & obedientia.*

**M**ODESTIAE Christianæ ac demissionis multi sunt effectus ac membra: qui enim se ut nihil agnoscit, nihil omnino vult suum retinere, nihil possidere, non ea quæ alij tanto studio acquirunt, imò nec seipsum. Primum genus paupertate, alterum obedientia continetur. Gaspar in vtraque sic excelluit, ut plus videatur ex India, quam qui multa inde aduehant, nihil possidendo reportasse. Id lacer Armuziæ ac pannosus, id æger Goæ demonstrauit. In nauigatione multa illi pro se ac socijs bellaria afferebantur, à Præfecto potissimum; quæ ille semper constanter recusauit, afferens sibi ac socijs nauiticum sufficere commeatum. Eadem constantiâ deinde Armuziæ munus

munuscula varia remittebat, vel ad ægros ab ipsis qui offerebant deferri mandabat. E bysso tot ei tum panni mittebantur, vt etiam molestum esset importunos donatores remittere: itaque vt in posterum ab hisce sese continerent, in initio multis nostræ Societatis gratuita officia exposuit, & vix effecit, vt rem ipsi tantam nouam sibi persuaderi paterentur. Quantum verò de ea virtute ab hominibus nostræ Societatis exigeret, alibi videbimus.

Iam videamus, quantum ille nobiliori paupertatis genere se ipsum etiam seipso spoliarit. Qui regere alios tantoperè nolit, facile se ab illis regi patietur: nam quo ex capite honoris fuga nascitur, ex eodem suæ libertatis in alterius arbitrium traditio absolutissima dimanat. Nō est igitur, quod in eo genere diutius immoremur; siquidem obediens eo in gradu fuit in quo humilis ac demissus: qui si obediens non fuisset, idem neque submissus exstitisset. Hinc de suis Superioribus ita semper

per  
bat  
re, a  
fed  
ficial  
nus  
quo  
nuē  
retu  
Chi  
in A  
vid  
Sup  
taba  
suc  
ad I  
sum  
stul  
ctur  
obe  
qua  
insu  
rum  
uer  
mic  
iam  
pot

per

per honorificè sentiebat, ac loquebatur. Et quidem multum est obedire, atque alterius sequi voluntatem: sed si ea tuæ repugnet, tum sanè difficillimum est & heroicum facinus. Quo in genere Gaspar toto eo quo in India vixit tempore, vti strenuè pugnavit, ita palmas eximias retulit. Optabat in Iaponiam, in Chinam, in Persidem, in Arabiam, in Aethiopiam ire; & ita optabat, ut vidimus, & adhuc videbimus: per Superiores ei nunquam licuit. Optabat afflictæ obsidioni Monajanæ succurrere, Ammonitas instruere, ad Iogues excurrere: non permiffum. Itaque tantus animus in ergastulo semper fuit, quoniam intellectum suum omnem in obsequium obedientiæ captiuarat: semper, inquam. Nam non Armuziæ solùm *Obedientia studium.* insula illi egredi interdictum, verum & Goæ. Nam ibi Beatus Xavierius idem, quod Armuziæ formidarat, & nunc eo magis, quod iam Gaspari omnia cum summa potestate permittebat, ipsum etiam

iam

iam Xauerius Xauerium. Sed qui omnia illi permisit, vnum seipsum, in quo libertas est omnis, excepit: nam vetuit, ne vlllo vnquam casu Insulâ excederet; satis iam Gasparé cognoscens, & gnarus, quantum illa ciuitas eius praesentiâ indigeret. Quæ, vt ex India à successore P. Balthasare Dias scriptum, (qui breui P. Melchiori Indiâ petenti suffectus est) non vltima causa fuit, sed propè vnica, (si B. Xauerium excipiam) notæ in India nostræ Societatis. Porro quàm præclarè de obedientia sentiret, facilè est ex hoc vnico eius loco intelligere. Postquam enim Raymundum socium suum in Arabiae felicis ora remanere cupiisse, quòd ante diximus, narrauit, hæc habet: Fratres carissimi, nolite peregrinari in feruore spiritus: probate spiritum si ex Deo est: iactate super Dominum curam vestram, & ipse vos enutriet; nõ dabit in æternum fluctuationē iusto. Tollite iugum obedientiæ super vos; ne quicquam amplius, quàm quod Superior

perior vester cupit, cupiatis: hoc enim solum bonum. Nolite omni spiritui credere. Hæc ille idem obedientiæ præco, qui accuratissimus obseruatur. Nam omnia illi à B. Xaverio mandata ( mandauit autem plurima) sic obseruauit, vt merito contendere possit, vtrum in præcipiēdo ille magis excelluerit, quàm Gaspar in parendo.

## CAPVT XVII.

*Orandi studium.*

**F**ACILE ex opere aliquo affabre facto de opificis artificio, & instrumentis vtendi peritia possumus iudicare: ita sanè ex his, quæ Gasparis manus expoliuit, colligere nullo negotio possumus, quātus in oratione fuerit, quàm auctores sacri virtutum ceterarum vocāt instrumentum. Et eò sanè admirabilius est, inter tot negotia tempus orationis otio superfuisse: quanquā non supererat; sed cū deerat, necessaria etiam quiete defraudata corpusculo subtrahebatur. Sed in eo ge-